

JOAN ALBERT BAN (HAARLEM)
AAN CONSTANTIJN HUYGENS [DEN HAAG]
12 JANUARI 1641
2606A

Vervolg op Bans brief van 15 december 1640 (2597).

Samenvatting: Ban verweert zich uitvoerig tegen de kritiek in de brief van Boësset en het ‘Jugement d’un Trésorier Général’. Hij wijst er met nadruk op dat hij Boësset niet heeft willen verbeteren en zich allermint als superieur aan hem beschouwt. Hij neemt het de Fransen kwalijk dat ze zo ruw tegen hem zijn opgetreden, terwijl hijzelf slechts met vriendschappelijke bedoelingen tot nut van de wetenschap aan deze correspondentie was begonnen.

De oorspronkelijke brief werd met Bans brief aan Huygens van 13 januari 1641 (2607) en die aan Mersenne van dezelfde dag (Jonckbloet 1882, [Ban] nr. 16, pp. CVIII-CXII; Waard 10, nr. 961, pp. 400-404) meegegeven aan Pieter Post en met deze door Huygens op 16 januari 1641 ontvangen uit diens handen. Huygens stuurde de brief, vermoedelijk op 19 januari, door naar Mersenne. Met Bans brief van 3 maart 1641 (2660A) ontving hij het nu bewaarde afschrift.

Primaire bron: Leiden, Univ. Bibl., Cod. Bibl. Publ. Lat. 2212: afschrift (fols. [1r-6v] van katern van 5 dubbelvellen, gefolieerd fols. 14-19, 21x32cm; apograaf).

Vroegere uitgaven: Jonckbloet 1882, [Ban] nr. 14, pp. XCIV-CVII: volledig.

— Worp 3, nr. 2608, p. 133: samenvatting; abusievelijk gedateerd op 13 januari 1641.

— Waard 10, nr. 960, pp. 398-399: onvolledig (<æquissimo animo tolerabo ... sum eam provinciam>, <Hæc omnia toties ... rationum loco serviunt> en <Promissas vero de musurgiâ ... primâ oportunitate transmittam>), verder samengevat.

— Rasch 2007, nr. 2606A, pp. 452-472: volledig, met Nederlandse vertaling.

Namen: Antoine Boësset; Cato; Sébastien Chapellet; Jacques de Gouy; Marin Mersenne; Jean Nicod.

Plaats: Parijs.

Titels: *Me veux-tu voir mourir* (Ban 1640); *Me veux-tu voir mourir* (Boësset 1639); ‘Abrégé de la prononciation et grammaire française’ (in *Le grand dictionnaire Français-Latine*; Nicod 1618).

Glossarium: aër (lied); aërius (bij een lied behorende); cantio (lied); chorda cadentialis (cadenstoon); circulus (toonsoort); concentus (samenklank; meerstemmige zetting); consonantia (consonant [subst.]); diapason (oktaaf); diapente (kwint); ditonus (grote tert); gradus (stap); harmonia (harmonie); intervallum (interval); intervallum accidentale (gealtereerd interval); modulamen (melodie); modulatio (muziekstuk); modus (toonsoort); motus contrarius (tegenbeweging); musica (muziek); musica flexanima (zielroerende muziek); musica verbalis (vocale muziek); musicus (musicus); musicus practicus (musicus); musicus theoreticus (muziektheoreticus); musurgia (muziekleer); musurgus (componist); numerus (ritme); quarta (kwart); quinta (kwint); relatio falsa (dwarstand); saltus (sprong); semiditonus (kleine tert); semitonium (halve toon); tertia major (grote tert); tonus (hele toon); tonus major (grote hele toon); tonus minor (kleine hele toon); vox acuta (sopraanpartij); vox gravis (baspartij); vox prima (sopraanpartij).

Transcriptie

Jo. A[l]b. Bannius C. Hugenio, Equiti, salutem plurimam dicit.

1. Æstuanti mihi, vir nobilissime, et anhelanti ad scientiarum virtutumque ornamenta atque incrementa, ingenuos imprimis homines, bonamque apud eos fidem desidero, quibuscum Palladia ac Musarum commercia habenda sunt. Primum ut exulantibus passionum importunitatibus, rationis et ratiocinationis virtuti mens invigilet; deinde verò ut nihil malevolum, scommaticum, contumeliosum, vel sinistrâ suspicione aut præsumptuosâ exprobatone infectum, ex scripture seu sermocinatione, vel præproperè colligatur, aut præposterè respondeatur. Etenim sapientum atque sapientiæ amatorum mentes, seriis imprimis cogitationibus deditas, sanis ratiocinationibus intentas, et amicissimo candore illustratas esse oportet, si larvam aut idolum opinionis declinare, eruditionis autem veram ideam consequi optent. Has ego conditiones jure merito in

Parisinis musicis theoreticis et practicis imprimis requirendas censeo, si cum iisdem non sine fructu de musicæ flexanimæ virtute atque perfectione (quæ auditorem docere, delectare ac movere valet) agendum erit. Videntur enim illi sincerum atque liberalem animum meum, nullo calumniæ aut falsæ opinionis musco adulteratum, sed ad scientiarum scopum seriò contententem, vel non agnoscere, vel temere dijudicare, nonobstante etiam eo quod nullius me offensionem, sed solidis argumentis instructam (petitæ à Mersseno nostro), sententiæ meæ defensionem, ad veritatis musicæ illustrationem prioribus literis meditare me protestabar. Ideo liberè et candidè, at non sine rationum pondere scripsi, ut eorum ingenia excitarem et melioribus rationibus ab iisdem erudirer.

2. Sed nihil horum, quæ ego toto animo expectabam, mihi repositum est, plurima verò ad scopum propositum non pertinentia, quædam parum apposita, quædam verba et voces ac nihil rei habentia. Pleraque etiam arrogantur, ¹καὶ μετὰ πολλῆς φαντασίας, inani quâdam opinione et præsumptione dictitatâ, quod præcipuè in literis Boësseti, et censurâ illâ (*Jugement d'un Thrésorier-Général*) præposterâ, an præproperâ? continetur. Inprimis autem quemadmodum contumelias et dicteria animitus odi, ita etiam ab iis hominibus quascunque cavillationes sine ratione, mihi benevolenti inhumaniter obrusas, virtutis amore et amicitia spe, non solum libens dissimulabo, sed etiam æquissimo animo tolerabo. Rationibus solidissimis semper acturus, quotiescunque in istam arenam provocatus |14v| fuero. Verum Mersseno, istarum comediarum, an tragediarum?, proxenetæ, hoc indulgendum non videtur, ut me tacente nesciat, quam imprudenter egerit, ut adeò malam de me opinionem tam in Boësseto, quam aliis philomusis vel pullulare passus sit, quasi verò ego illius opera musica sugillare præsumpserim, vel vituperare, vel aliquid ejusmodi quod viro ingenuo noxam adferat, admiserim.

3. Ego itaque neminem ex Parisinis in singulare certamen exostulavi, at prior à Mersseno provocatus sum, et quidem te hortatore, nobilissime Hugeni, aggressus sum eam provinciam, quam benevolè et rationabiliter cum viris humanissimis ad eundem scopum contententibus subire et absolvere speraveram. Boëssetum non læsi, opera ejus non contemsi, nec sinistrè dijudicavi. Rogatus vero, imò coactus potius mearum speculationum meæque praxeos rationem reddere, comparisonem non feci, sed disparationem ostendi, cur mihi hoc, quod placere videbatur aliis, non arrideret. Deinde musurgiam meam, quæ aliis paradoxa et ²(ex præpropero iudicio) forte ludicra apparebat, non ex opinione fortuitâ, sed ex certissimis rationibus à me constructam dixi. Adeoque rationabilem, et (ut ego æstimo) flexanimam esse, ne superbus viderer, humaniter ostendi. Non dixi autem eam esse perfectissimam nec me posse facere meliorem modulationem, nec meipsum aliis superbè prætuli, nec aliquem contempsi. Absit enim arrogantia menti, absit et verbo procacitas illa, quæ amicitia obest. Ingenia autem doctorum et musicorum virorum excitare conatus sum, ut solidissimis rationibus, citra calorem noxium, inter nos de musicâ ageretur, unde me posse magis proficere, non parum, sperabam. Hæc omnia toties Mersseno inculcavi, moramque scribendi, ac respondendi ideò studiosè produxi. Excusationes humanissimas non semel attuli, et ecce adhuc patitur ille tam sinistra de me iudicia, tam contumeliosa in me promi dicteria, quæ rationum loco serviunt. Sed, ut dixi, æquo animo hæc omnia accipiam, præcipuè si zelo illius admirabili ad scientiarum artiumque perfectionem quoquo modo promovendam plusculum, ut par est, condescendam. Nec enim dubito quin imposterum cautius aget, et saltem ex parte meâ omnem animi sinceritatem, æquitatem benevolentiamque, cum rationum serio discursu (ut decet) conjunctam, viris doctissimis et philomusis suis persuadebit. Eâ igitur spe fretus, ut humaniter deinceps et solidissimis rationibus ex occasione inter nos agatur, pauca de illis literis censuris et opinionibus transmissis hic subjiciam; ut videant quam æquanimiter, et benevolè me ad eruendam seu promovendam musica perfectionem offeram. |15r|

4. Nemo Parisinorum musicorum mentem meam rectè assequitur, hoc est, nec ex literis meis eam percipit, nec suis responsionibus eandem tangit. Literæ Boësseti, et censura illa (*Jugement d'un Thrésorier*) ejusdem planè argumenti sunt, nisi quod Boëssetus ex istâ censurâ suas composuisse videatur. Primum ipsius argumentum est tale: Bannius hac verba (*Me veux-tu voir mourir*) interpretatur esse indignabunda, cum lamentationem amantis referant, ut Dominus Boëssetus aliique forte dicunt. Ergo nec intellegit linguam Gallicam, nec videtur habere sensum communem. Ecce sequelam argumenti, quasi vero nemo amantium indignaretur,

1. Handelingen 25, 23: 'Τῆ ὄν ἐπαύριον ἐλθόντος τοῦ Ἀγρίππα καὶ τῆς Βερνίκυς μετὰ πολλῆς φαντασίας ...'

2. Haakjes sluiten achter <apparebat>.

nec indignatio amantium foret vera indignatio, reclamante proverbio: ³‘Amantium iræ, ⁴amoris reintegratio est.’ In hoc porrò laudo Dominem Boëssetum illiusque exquisitissimum in re musicâ iudicium veneror, cum mihi consentiens inquit: ⁵‘Si sensus eorum verborum esset talis, ut putat Bannius, faterer me peccasse usurpando talem modum, qualem nunc adhibui, nempe quod magis conveniat dulcedini, blandimento, dolori, planctui etc. ob tertiam minorem diapason dividentem.’ ⁶‘Quemadmodum circulus, quo usus est Bannius, incitatissimus est, aptusque furiis, vindictæ, indignationi, etc., ob tertiam majorem prædominantem, quæ tantum habet incitationis, quantum semiditonus habet temperiei.’ O, musicum excellentissimum, qualem glorier eâ in re mihi consentientem! Omnes enim musici ista mysteria tam profundè non penetrant, et quidam etiam pertinaciter negant se istud auribus posse, aut percipere, aut distinguere.

5. Quod autem Dominus Boësset (cujus ego industriam artemque maximi facio) ⁷omnia passionum genera, tam in uno, quam in alio modo, ad arbitrium exprimi posse autemet, omninò non amplector, nec omninò nego; mentem itaque explico. Nam si singulorum circularum seu modorum constitutionem, quoad gradus vocis ordinales, vel saltus caracteristicos seu stationarios (vulgò chordas cadentiales vocant), nimirum in diapente, et ditono vel semiditono, ex divisione cujusque diapason resultantes, diversam esse admittamus, prout acutissimè Dominus Boëssetus iudicavit, omnia passionum genera in quolibet modo, hoc est, salvâ speciali illius proprietate et virtute, exprimi non poterunt, nisi ex accedenti: ratione nimirum intervallorum ac numeri musicalis intervallorum durationem exprimentis. Intervallorum enim tam varia potestas delectandi, movendique animos (qualem in ditono et semiditono Dominus Boësset agnoscit), frequenter, seu multoties, hoc est, quovis gradu aut saltu diversificata, necessariò ista pathemata inducet, atque in hoc puncto cardo totius musicæ flexanimæ versatur. Ut autem res ista à tali confusione ad ordinem quendam atque distinctam harmoniæ proprietatem, ut par est, revocetur, circularum seu modorum constitutiones inventæ sunt. Atque hanc puto esse ipsissimam Dominis Boësseti mecum ita sentientis mentem. | 15v |

6. Eodem planè modo videtur mihi intelligendum esse quod Dominus Boësset scribit de circularum seu modorum alteratione, inquit, per intervalla accidentalialia omnes modos posse reddi æquales. Nam tunc cujusque modi proprietas, et potestas destruetur triplici ratione. Primò quidem modi tunc non different secundum acumen vel gravitatem constitutionis diapason. Deinde neque different secundum ordinem tonorum et semiton[i]orum, ex quibus propria et essentialis singulorum circularum differentia oritur. Inde itaque res musica ad confusionem redit. Nam sicut primus circulus seu modus, incipiens à C, hoc ordine continuatur, ut primo gradu sit tonus minor, deinde tonus major, etc., ut vides hoc diagrammate: C, D, E, F, G, A, ♯, C, sic eadem constitutio deberet fieri ex D, hoc modo D, E, ♯F, G, A, h, ♯C, D, quod sine variatione seu imperfectione systematis fieri nequit. Nam à D ad E est tonus major, cum antea à C ad D esset tonus minor. Si vero utamur systemate imperfecto ac vulgari (ubi omnes toni et semitoni sunt æquales), peribit energia et varietas constitutionis, omnesque consonantiæ erunt inconcinnae, hoc est, vel superfluae, vel diminutæ, etc. Tertio, itaque cum circulis seu modis maximam energiam afferant saltus, scilicet semiditoni, et ditoni, quintæ et quartæ, omnes illi saltus energiam perdent, quia erunt inconcinni, et à ratione justæ proportionis, et consequenter à puritate consonantiæ omninò deficient, ob systematis vulgaris imperfectionem, quod mathematicè est demonstrabile. Sed de his satis hâtenus.

7. Quoad circuli mutationem seu circularum inter se mixtionem ex occasione usurpatam, unde mox ad priorem circulum redeat musurgus, omninò rem pulcherrimam atque plenam iudicii cum Domino Boësseto æstimo, præcipuè si systema perfectum à musurgo usurpetur, et observetur. Imò admirandi effectus inde auribus et animo proveniunt. Cætera vero quæ Dominus Boësset calidius de me censet, eo semper loco habebō,

3. Terentius, *Andria*, 555: ‘*Amantium iræ amoris integratiost.*’ De frase komt ook als Latijns spreekwoord voor.

4. <amaris>.

5. Boësset aan Huygens, 15 november 1640 (2575A): ‘... *si le sens des parolles estoit tel qu’il les explique, j’avouee que j’aurois fait un mauvais cheoix du mode dont je me suis servy, qui est plain de douceur et plus propre à exprimer la douleur et la plainte que la cholère, son diapason estant divisé dans la cadence par la tierce mineure.*’

6. Boësset aan Huygens: ‘Que sy la signification des parolles eussent esté telles que ledict Sieur Bannius se l’est imaginé, je me serois servy du mode dont il a composé le sien, qui est du 7e mode, propre à la furie, aux crys et au désespoir, à cause de la division de la tierce majeure, qui est aussy virile que la tierce mineure est molle.’

7. Boësset aan Huygens: ‘..., bien que, *quand il me plaira, j’exprimeray toute sorte de passion aussy bien en un mode qu’en l’autre.*’

ut ad majorem scientiæ artisque musicæ perfectionem consequendam, calcaria sint, et majores mihi conatus efficiant.

II Pars.

8. Venio ad alterum scriptum, cui titulus: *Jugement d'un Thrésorier-Général sur la lettre de Monsieur Bannius*. Antequam huic aliquid respondeam dicam modestè, quâ conditione id faciam, nimirum quod libentissimè fatear me esse hominem imperitum rerum humanarum, nec minus quam collegii literarii Pedanum qui nesciam nisi Latinè, ut habet paragraphus secundus (Et utinam scirem Latinè!). Fatear, inquam, me esse hominem linguarum et quotidiani earundem usus ignarum, præcipuè vero linguæ Gallicæ. Istud adèò verum est, ut quotidie magis | 16r | magisque addiscendis rebus omnibus, quæ ad humanæ mentis necessitatem, usum, atque decorum pertinent, omnes conatus adhibere nec horream, nec erubescam. Quin et gratias habeo isti Thesaurario Generali, quod me meæ admonuerit inscitæ atque imperfectionis, unde posthac studiosior evadam. Sunt autem in istâ censurâ Generalis Thesaurii undecim plus minus replicæ quibus se meis rationibus satisfacisse autumat. Singulas ordine recensebo ut singulis ordinatè respondeam. Atque ut ordiar hoc unum præmittam.

Fateor, ut dixi, me esse hominem imperitum. Sed adèò stupiditatis aut inertiae nondum me credo devenisse, ut, dum olim in Galliâ audirem loquentes Gallos, vel etiamnum eos loquentes, et linguæ ac prononciationis vernaculæ energiam extollentes, syllabarum ac præcipuè vocalium productionem aut velociorem sonitum, eodem semper modo ex gentilitio usu recitatum, nec observare nec distinguere valeam. Exempli gratiâ cum dicunt «*il passe*» tempore præsentis, et «*il est passé*» tempore præteriti, differentia est in utrâque dictione, tam quoad prononciationem (sive accentu, sive temporis varia quantitate aliove modo quem ego forte ignoro distinguatur) quam quoad significationem planè diversam. Relinquo autem Gallis auream suam libertatem, aliaque linguæ suæ mysteria, mihi abscondita, et ad rem venio.

9. ⁸Primò interrogat me Thesaurarius quispiam generalis: 'Cur Bannius Hollandus linguæ Gallicæ prononciandæ vocabula accentibus insigniverit?' Respondeo, triplici de causâ id me fecisse. Primò quia semper observavi nitidè loquentes Gallos syllabas suas vario prononciationis tono distinxisse, ut paulò ante insinuavi, quem tonum ego forte accentum nominavi. Galli vero id non permittunt. Sed alio vocabulo quantitatem temporis longi ac brevis appellant prout ab omnibus accepi. In primis autem instar omnium unus est Dominus Nicod, Consiliarius Regius, qui in suo *Grammatices compendio*, externis nationibus præscripto ac dedicato (quod præpositum est magno illius Dictionario Gallico-Latino, impresso Parisiis apud Sebastianum Capellet anno MDCXVIII) titulo de accentibus ita scribit: *Licet Galli nullus accentus notent, sunt tamen Gallicæ linguæ, ut et Græcæ, et Latinæ duo tempora, longum et breve. Et si verò brevium et longarum discrimen usu potius quam arte discitur, tamen paucas istas regulas peregrini diligenter debent observare.* | 16v | Postea verò assignat novem regulas, quarum prima dicit quædam vocabula, verbi gratiâ «*misericorde*», constare quinque syllabis naturâ brevibus, etc.; nullum vero vocabulum habet omnes syllabas longas: verbâ gratiâ «*entendement*» habet mediam brevem, etc. Observavi itaque esse diversitatem prononciationis in syllabis, eamque productionis et brevitatis differentiam ego forte accentum nominavi. Eo quod accentus propriè ad prononciationem, quemadmodum quantitas ad poesim, rectius spectare mihi videbatur.

Altera causa est, ut hasce Gallicæ linguæ delicias, energiamque quas syllabarum propriâ varietate vox humana naturaliter prononciando edit, ego artificialiter talibus signis scribendo quasi prononciare, hoc est Gallis conceptus meos musicos requireribus clarissimè manifestarem. Quâ in re, nescio quid, vel erga urbanitatem aliamve quampiam virtutem commissum sit. Rogatus sum meam sententiam, dixi. Respondendoque meliorem instructionem animitus à Gallis expectavi.

Tertia causa est ipsa prononciationis distinctæ natura, quam cum præterire non potui, necessariò insinuandam, descripsi quidem, at non definivi. Dictat enim ratio, omnem cujuscunque linguæ prononciationem debere esse articulatè distinctam. Id verò fieri non posse, nisi syllabæ inter se differant acumine vel gravitate sonitum, vel eorundem productiori aut velociori tempore; prout omnes fatentur. Ideoque æstimabam linguæ Gallicæ etiam esse distinctam prononciationem quotidiano usu frequentatam. Quæ

8. Gouy, *Jugement*, (2580A), §1.

si modulatione musicâ perfectius ederetur, decorum eloquentiæ musicæ non parum posse augere, mihi videbatur.

Quamvis itaque ex mente Thesaurarii lingua Gallica, Græcæ et Latinæ derivativa, jam duobus fere sæculis magis indies perficiatur, ruditatemque utriusque prioris exuere dicatur, attamen quotidiani usus observantia, non nisi alio usu infringi, aut proscribi potest. Si porro Gallis meum discendi studium, quod scribendo, et ratiocinando satis indico, displiceat, silebo lubens, importunitatemque eorum dissimulabo. Libertatem vero, quam la franchise appellant, hoc est vernaculum jus normamque loquendi, scribendi, modulandique pro arbitrio nativo, Francorum toti genti relinquam, quam, quoquo modo aut signo, me temerasse nescio. | 17r |

10. Secundò, inquit Thesaurius ille, ⁹quod accentus ex phantasiâ propriâ adscripserim!, cum nec semper, nec ubique observentur à Gallis!, sed tantum in quibusdam casibus pro arbitrio auditus ipsam prononciationis rationem suavitatemque distinguentis.

Ad priorem hujus replicæ partem, jam statim respondi. Ad posteriorem respondendo interrogo: an in talibus casibus formatio accentuum cuilibet ex suo judicio arbitraria sit, vel ex usitatâ consuetudine singulis legitimè præscripta? Si hoc, peccant, cum non observant, ipsi Galli; si istud, signum est ¹⁰imperfectiois linguæ. Id mihi quantumcunque rudi ac stupido videtur.

11. Tertiò, inquit, ille idem: ¹¹Male orditur ex falso fundamento Bannius dicens circulum Domini Boësseti esse iræ minaci ineptum. Quid nunc respondebo? Duo porrò dicenda sunt, primum ego breviter dicam. Error nimirum imaginationis atque intellectus mei fuerit, quod illa verba (*Me veux-tu voir mourir*) aliter perceperim, quam vel ipse author intenderit. At facile corrigendus, ignoscendusque, nimirum quia cedo authori suam sententiam, meamque subdo. Alterum pro me luculentissimè dixit excellentissimus Dominus Boësset, quem vel ideo magis veneror, ut supra dixi.

12. Quartò, Thesaurarius exposito carminis Gallici sensu atque affectu, sic replicat: ‘Nulla generalis regula sine exceptione est.’ Ideoque indignantes quandoque submissâ voce loquuntur, et moribundi subinde exclamant validè! Respondeo. Inficias non eo faciat quilibet musurgus pro suâ imaginatione. Mihi verò æquè pro meo conceptu, non sine ratione modulanti. Ut amico Gallo mentem meam flagitanti aperiam, cur insultatur? Cur rationibus non agitur?

13. Quintò dicit: ¹²‘Nemo musurgus alligatur modis, ut passionem talem vel talem exprimat: nam modorum alteratio per dieses fieri potest.’ Respondeo. De hoc jam supra abundè memini ad literas Domini Boësset respondens. At quia suis quisque fertur conceptibus, et pro ratione voluntatem quandoque habet, hoc addo:

¹³Si fractus illabatur orbis:

Quid tum?

Impavidum ferient ruinæ.

Nam rationi standum est, non opinioni, si scire quis studeat.

14. Sextò, hanc ex thesauro suo replicam affert: ¹⁴‘Regulis accentuum gravium et acutorum varietas musicæ delectationis, contrario motu | 17v | constans, omninò perditur.’ Respondeo. Varietas delectat, fateor; at necessitas evincit omnia. Adeòque quia primò oportet prononciationem linguæ esse distinctam accuratamque, antequam sit delectabilis. Fieri omnino nequit, nisi tonus prononciationis sermonem auribus rectè intimet, ut illæ veram delectationem ex iisdem capere queant.

9. ‘Jugement,’ § 1.

10. <imperfectioris>.

11. ‘Jugement,’ § 2.

12. ‘Jugement,’ § 3.

13. Horatius, *Carmina*, III, 3, 7-8: ‘*Si fractus inlabatur orbis, | Impavidum ferient ruinæ.*’

14. ‘Jugement,’ § 4.

15. Septimò, sic opponit: ¹⁵‘Si observentur accentus verborum in modulatione, difficilis erit musurgia.’ Respondeo. Difficilia quæ pulcra, unde ille: ¹⁶‘Armat spina ¹⁷rosas, mella tegunt apes.’ Difficile est bene seligere atque ordinare intervalla, syllabasque, ut doceant, delectent et moveant. Et melius res illa ratione quam imaginatione fit.

16. Octavò ait: ‘Bannius sibi ipsi contrarius, in quibusdam accentibus tam numero quam intervallo peccavit.’ Respondeo. Numero me errasse nego; is enim ad arbitrium, imo et ad nutum est. Quæ verò in accentibus intervallo formandis sit licentia, priori epistola dixi.

17. Nonò, accusat ¹⁸Bannium de usurpatis falsis relationibus consonantiarum. Respondeo. Illas musica vetus plenas religionis æstimavit, cum omnis concentus et consonantia festinaret lentissimè et oratio verborum serva esset concentui, sine intellectu pronuncianda. Hodiernæ vero musicæ, et præcipuè stylo Gallico aërio, ut vulgo ajunt, parum utilis est, et fere inepta. Nam si Thesaurarius replicâ quartâ ait: ¹⁹‘hodie nemo se astringit modis ut talem vel talem passionem exprimat, cur se aliquis astringet relationibus harmonicis quæ longè inferiores sunt modis seu circulis? Ego verò relationes illas musicæ flexanimæ servas esse volo, vel ab eâdem omnino proscriptas, quia energiam concentus et proprietatem consonantiarum impedirent. Quantum enim hisce sæculis accrevit varia musicarum rerum inventio, tantum veteranæ musicæ regulis suâ perfectione detraxit.

18. Decimò, ait: ²⁰‘Bannius dictiones separatas considerat, non autem ut partes periodi, ideoque malè asserit vocem «*cruelle*», acuendam in medio, etc.’ Respondeo negando assumptionem. De cætero verò hoc addo quod crudelitas etiam amori insit. Cujus summa vis majoribus intervallis, mediocris affectio minoribus intervallis mihi exprimenda videtur. Opto aliis rationibus melius edoceri.

19. Postremò sic finit Thesaurarius ille: ‘Bannius nullum vitium in consonantiâ seu harmoniâ concentus reprehendit.’ Respondeo. Libertatem magnam musurgo peritiori statuo. Nisi quod vocis gravis et acutæ concentum proprias consonantias exprimi malim, quemadmodum primæ seu acutæ vocis modulamentum per intervalla singulis passionibus propria et ad rationem accentuum aptata conficiendum censeo. Hoc aures mihi | 18r | tam accuratè dictitant, ut ægerrimè contrarium admittant patianturve.

Hactenus ad ea quæ musici Parisini mihi opponere videbantur modestè respondi, ne te hoc lateret quod ex me avidè expectabas. De toto autem negotio est, quod largius aliquid dicam. Primo quod mentis meæ nunquam fuerit alicujus personam vel artem, vel opera taxare, multò minus me alicui comparare. Novi enim quantum ea res homini studioso noxam adferat. Et ut inquit ille: ²¹‘Hoc faciunt stulti quos gloria vexat inanis.’

Deinde studui amicitiae servire. Nam rogatus non semel à Mersenno ut aliquam cantionem Gallicam stylo meo, ex meâ sententiâ, componerem, eamque juxta scientiæ artisque, longo studio, atque exercitio mihi comparatæ legis regulas atque præcepta, modulamento musico primum, deinde et concentui aptarem, tandem illius petitioni me accommodavi. Itaque aërem, ut ille vocat (*Me veux-tu voir mourir*), confeci, et transmisi. At quâ mentequove animo id contigerit, nunc audi. Videbar amico hoc debere ut mentis meæ sententiam rectè intelligeret. Intelligere verò non poterat ex solo diagrammate, nisi meam de re musicâ sententiam, à communi praxi differentem, agnosceret adeoque explicatam haberet. Hinc quia de musicâ verbali agebatur, prius de verborum accentibus, quorum rationem natura docet, usum verò humana consuetudo omnibus nationibus præscribit, egi. Quin etiam accentus linguæ Gallicæ adscripsi, eo quod distinctam pronunciationem illius alio modo non videbam. Nam quamvis ex usu pronunciationem Gallicam antehac didicerem, atque ex Nicode eandem temporibus potius longis et brevibus, quam accentibus constare intellexeram, arbitrabar tamen quantitatem syllabarum potius ad poësim, hoc est ad versus et rythmos, spectare, accentus verò ad pronunciationem vulgarem referri. Volebam itaque, ut ex eo Mersennus mentem meam plenissimè intelligeret, hoc est, quid ego sentirem de linguarum pronunciatione modulamento aptandâ, clarissimè videret. Exoticæ verò extra meam provinciam linguæ pronunciandæ leges statuere nolui, quas à consuetudine oriundas sciebam.

15. ‘Jugement,’ § 5.

16. Claudianus, *Festennia dicta Honorio Augusto et Mariæ* 4, 10.

17. <rosos>; Jonckbloet: <rosos>.

18. ‘Jugement,’ § 7.

19. ‘Jugement,’ § 3.

20. Verwijzing naar ‘Jugement,’ §§ 8-10.

21. Cato, *Disticha*, II, 16, 2.

Et forte si Galli mentem meam rectè assequantur atque istius rei crebriora experimenta sumant, aliquid aliud deinceps de pronunciatione musicâ statuent. Sed ego deinceps meo me pede metiar. Explicatâ autem mente quoad pronunciationem verborum observandam, quomodo id musico faciendum, arbitrari, amico roganti |18v| candidè detexi, tum potestatem omnium intervallorum ad constructionem modulamenti, necnon virtutem consonantiarum ad compositionem concentus vocis gravis et acutæ ex meâ sententiâ exposui, atque distinxî.

Ne autem quoad utriusque operationem aliquid Mersennum lateret, quod præposterè ex me requireret, duo præstiti exempla. Primò quidem, quomodo magni illius Boësseti opus à meo differet, et quomodo ad mentem meam reduci posset, liberaliter et sine ullo ²²furo ostendi. Deinde verò, quomodo ego meo stylo suffragante rationum pondere eadem verba musicæ modulationi aptari mallet exposui. Non quod adeò regulis meis insistendum dicerem, ut nulla licentia concederetur, sed quod earum legum observatione, et modulamentum, et concentum magis perfici arbitrari. Itaque comparisonem operis mei atque Boësseti non feci; disparationem verò ostendi. Nihil verò de ejus arte improbum censui. Nam qui comparisonem facere queam vel censuram ex eâ statuere, ubi et principiis elementisque rerum musicarum dissentimus? Non convenit illi mecum in principiis; judicare itaque illius opera mihi nefas est. Imo nec mihi cum Domino Boësseto convenit in principiis (quia mihi ipsi, mihi inquam soli, hoc studium, illiusque profectum servo); condemnare, ergo, vel aliquâ notâ censere opera mea qui potest? In aliud verò singulare certamen etiam nolim descendere, quia istis ²³altercationibus scientiarum artiumque veritas potius obfuscat, quam illustratur. Nec, si vicissi me eâ vice audiam, ideo major, aut si perdidisse dicar, minor ero. Quidquid igitur in me sine ratione dictum est, non dictum aestimabo. Nationis enim Gallicæ zelus (ut ab inquilinis quibusdam multoties accepi) tantus est, ut primâ fronte mentem quandoque aut præoccupet aut præcurrat, postea verò ad rationis pondus redeat. Etenim quisque suos patitur manes. Quisque etiam suis pollet virtutibus. Ad amicam verò conferentiam atque ratiocinationem, si imposterum roger, non deero quoquo modo.

Ecce, nobilissime Hugenî, quam modestè et amicè Gallis respondeam. Rationes nimirum allego, mentem explico, rem musicam, quæ mihi hâctenus opinione solâ constare et perfici videbatur, ad rationum solidarum leges æquissimas, quibus et intellectum, et |19r| auditum melius acquiescere sæpissimè exploravi, revoco. Quin hæc omnia amicis rogantibus liberaliter communico. At nemini præjudicium facio; neminem vitupero, neminem ²⁴damno, neminem cogo, neminem lædo. Liberalitatis et humanitatis est quod propono, idque reipublica commodò offero. Si cuiquam non placeat mea sententia, non indignabor. Rejiciat eam, atque relinquat. Et quid si malè loquantur, convicia et scommata rationum loco reddentes, patiar lubens, nec ideò ab ulteriori disciplinarum virtutumque studio abstinebo. Si Gallis mei despicient conatus; si suam opinionem præferant; si meas rationes non perpendant; si sententiæ meæ experimentum capere nolint; si opinione suâ stare velint; si libertatem quamcunque, quomodocumque, ubicumque, undecumque, comparatam usurpatamque, loquendo, scribendo, modulando concinendoque, exlegem atque arbitrariam (adeo ut sit pro ratione voluntas) sibi esse decernant; esto. Susque deque habeo, et cedo facile.

Mecum habito, ut ²⁵norim quam sit mihi curta supellex. Si mecum ulterius eis libeat disserere de meis in re musicâ cogitationibus, nec hoc abnuo, si rationum pondere id fiat. Honorificentissimè semper de omnibus et singulis loquar. Nam licet opinionibus differamus, non ideo maledicentiam mihi licitam credo, aut volo. Imo malim superari quam superare, doceri quam docere. Hoc enim difficile, et arduum est, istud verò facile, et commodum. Ut autem istius rei ansam denuo præbeam, amicè à Gallis quæro, an (exemptâ linguâ Gallicâ suam sibi libertatem usurpante) de aliis linguis etiam ita censeant? ²⁶Measque in re musicâ auditas cogitationes etiam in linguâ Latinâ nolint usurpandas, adeo ut accentus à veteribus solidè inculcatus arbitrariè negligi et canendo corrumpi possit? Quam amicè atque candidè hoc quæro, tam amicam candidamque (et si fieri possit rationibus instructam) responsionem expecto.

22. <furo>.

23. <alterationibus>.

24. <damne>.

25. <novim>.

26. <meaque>.

Tuæ porrò est humanitatis, nobilissime Hugeni, vir amicissime, tantas mei caussâ subire molestias, totiesque meam tibi decantatam audire cantilenam, quanquam illius te nondum pertæsum esse semper asseveres, et plura intelligere ²⁷desideres. Mei vero, ut nosti, imperium habes, et præsto sum ad tua obsequia. Nam vel ideo magis gaudeo, quod doctioribus viris studia mea, reipublicæ bono plane dicata, | 19v | placeant. Promissas verò de musurgiâ rationes antehac ²⁸excogitatas, atque à paucis diebus ad praxim ordinatas, aliaque quæ à me postulasti, primà oportunitate transmittam. Vale, et feliciter ineuntis novi anni auspicia in multos annos, Deo adspirante, continua. Datæ Harlemi, XII Januarii MDCXLI.

Vertaling

Joan Albert Ban groet de heer Constantijn Huygens, ridder.

Voor mijzelf, waarde heer, die zich tot het uiterste inspant voor de bevordering van kunsten en wetenschappen, verlang ik vooral oprechte mensen en het goede vertrouwen bij hen, om met hen wetenschappelijke en kunstzinnige briefwisselingen te voeren. In de eerste plaats opdat de geest waakzaam blijve bij heftige gevoelsuitbarstingen, door de kracht van de rede en de redenering; en vervolgens opdat niets kwaadwillend of krenkend, of met de verkeerde bedoeling, of volgens een vooroordeel, in een geschrift of een gesprek, óf haastig worde opgevat, óf onjuist worde beantwoord. Immers, de geesten van de wijzen en van hen die de wijsheid liefhebben behoren vervuld te zijn van ernstige overwegingen, geneigd tot zuivere redeneringen en verlicht door de glans van vriendschap, indien zij wensen niet hersenschimmen, maar de waarheid te volgen. Ik meen met goed recht dat deze voorwaarden buitengewoon nodig zijn bij de Parijse musici en muziektheoretici, wanneer er met hen vruchtbaar over de kwaliteiten van de zielroerende muziek (die de toehoorder kan onderwijzen, behagen en bewegen) moet worden gesproken. Zij schijnen immers mijn oprechte en vrije mening daarover, die niet vervormd is door kwaadsprekerij, maar geheel de wetenschap is toegewijd, óf niet te willen kennen, óf zonder reden af te wijzen, hoewel ik niemand aanval, maar slechts met goede argumenten mijn mening (op verzoek van onze [pater Marin] Mersenne geformuleerd) verdedig, ter verlichting van de waarheid van de muziek, zoals in eerdere brieven werd uiteengezet. Ik heb dat vrij en duidelijk en niet zonder het gewicht van redenen geschreven, opdat ik hun verstand zou prikkelen en zelf door hen met nog betere redeneringen zou worden onderwezen.

2. Maar niets van wat ik met hart en ziel verwachtte, is mijn deel geworden, maar wel veel wat niet op de zaak van toepassing is, deels zaken die onvoldoende zijn gefundeerd, deels woorden zonder betrekking op de kwestie. Het meeste wordt er bijgehaald, ²⁹ 'En met ijdele praal,' met een zinledige zienswijze en een verkeerd of overhaast vooroordeel, hetgeen met name in de brief van Boësset en in het 'Jugement d'un Thrésorier-général' (overhaast, of verkeerd?) het geval is. Maar zozeer als ik spot en schimpscheuten in mijn hart haat, zo zal ik ook de drogredenen van deze mannen, die mij, nietsvermoedende, op onmenselijke wijze zijn opgedrongen, uit liefde voor de deugd en uit hoop op vriendschap, niet alleen met liefde negeren, maar ook met een gelijkmatig gemoed verdragen. Ik zal steeds met degelijke redeneringen strijden, iedere keer wanneer ik in dit strijdperk word uitgedaagd. Deze waarheid schijnt tot Mersenne, de vertegenwoordiger van deze komedies (of tragedies?) niet door te dringen, zodat hij, als ik zwijg, niet zal weten hoe onnadenkend hij heeft gehandeld toen hij een zó verkeerde mening over mij bij Boësset en de andere kunstminnaars heeft laten voortwoekeren, alsof ik zijn [Boëssets] muziek belachelijk zou willen maken of afkeuren, of iets zou hebben begaan wat schade aan deze bekwame man zou hebben toegebracht.

